





1653

1. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate
2. Rodericus, Christophorus Philippus : De sacrosancta personae
 sanctae ecclesiae subiectione et substitutione
3. Godefridus, Johann Jacobus : De foro competentis
4. Godefridus, Johann Jacobus : De potestate personae
5. Godefridus, Johann Jacobus : De ecclesia personae
6. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate
7. Godefridus, Johann Jacobus : De ecclesia ecclesiarum hinc expressum
8. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate in vicinis
9. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate
10. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate
11. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate
12. Godefridus, Johann Jacobus : De universitate





1653.

1. Gerhardus, Johannes Emestas: De consiliario
2. Richter, Christophorus Philippus: De haereticum prima
et secunda institutione ac substitutione.
3. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De foro competente.
4. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De pasta pecoris.
5. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De essentia possessionis
aris
6. Strauchius, Johannes: De alienatione.
7. Strauchius, Johannes: De statu ecclesiasticis superioris
oculi....
8. Strauchius, Johannes: De veritate in vicem
rei praestanda.
9. Strauchius, Johannes: De induciis....
10. Strunck, Georg Adamus: De novatione.
11. Strunck, Georg Adamus: De excussionis exceptione.
12. Strunck, Georg Adamus: De appellationibus.

1653.

13^b, ^{6, c} Struve, Georg Adamus: De annona. 3 Sept

1654 - 1720.

1654.

1. Beckmann, Johann Volk: De studiosorum privilegiis.
2. Gerhards, Johann Ernestus: De ostracismo Atheniensium
diuini atque simulacris remediis, quibus nimia
et suspecta civium potentia infringi potest.
3. Richter, Christophorus Philippus: De contractibus
immunisationis.
4. Rolfinus, Guernerus: Disertatio de ~~cordis~~ corde
in veterum et recentiorum, propriis que observatis
inibus confirmata et ad circulationem aconit
data.
5. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De collatione
6. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De nobilitate
7. Schroeter, Ernestus Fredericus: De sacrilegio.



1657.

8. Stevartus, Petrus: De principiis syllogizandi
in divinis.

9. Stranckius, Johann: De jure soli in superficie.

10. Stranckius, Johann: De imperio maris.

11. Stranckius, Johann: De constitutionibus principum,
rescriptis et decretis.

12. Stranckius, Johann: De reconventionibus.

13. Struvs, Georg Adamus: De errore.

14. Struvsus, Georg Adamus: De certitate iudicii
in pœnis irregularibus observanda.

15. Struvs, Georg Adamus: De testamentis.

16. Struvs, Georgius Adamus: De simultanea investi-
tura.



22 Pri. 43. Num. 4. 23

DISSERTATIO JURIDICA

De

STUDIOSO-
RUM PRIVILE-
GIIS,

Quam

Divinâ aspirante Gratia

Consensu Magnifici Fctorum Ordinis in illu-
stri Academia Jenensi.

P R Æ S I D E

V I R O

Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOHANN - VOLK.

Bechmann/ J. U. D. celeberrimo, Patrono at-
que Præceptore summo honoris & observantiæ
cultu prosequendo,

publica disquisitioni proponit

CHRISTIANUS RIEBAUW,

WERNINGERODENSIS.

In Auditorio Fctorum

Ad diem Julii, horis consuetis:

J E N Æ

Literis JOHANNIS NISII.
M. D. C. LIV.



P. 264

1654, 11 A6





VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimis ac
Spectatissimis*

Dn. ELIÆ NURNBER-
GEN, Quedlinburgensium Sena-
tori dignissimo.

Dn. GOTHOFREDO
SAUREN, præfecto Eindorffensi
gravissimo.

Dn. CHRISTIANO
Maschowen/
Civi Quedlinburgensi primario.

Dn. BUSSONI Maschowen/
Advocato apud Ascanienses
felicissimo.

*Dnn. Cognatis, Patronis ac Promotoribus
suis colendisissimis.*

Sal.

Sal. & off.



*M*agnam in Imperio nostro barbariam olim fuisse, ex historicorum monumentis abundè constat. Ad quam profligandam & expellendam nullum commodius remedium potuit inveniri, quam institutio Academiarum. Sic enim politioris literaturæ studia reflorescere cœperunt, ut hodiè longè lateq; sese porrexerint. Et hæc post Deum institutioni Academiarum adscribenda sunt. Favorabiles ergò & magno in pretio habenda sunt Academiæ. Id quod fortiter confirmat gloriosissima memoriæ Imperator Fridericus famosissimâ Authenticâ Habitâ, quâ non tantum Academiis, sed etiam earum membris amplissima concessit privilegia, ut docentes & discipuli magis magisq; accenderentur ad excolendas humaniores literas. Cum ergò & ego, in Academiis hæctenus versatus, earumq; privilegiis usus fuerim, putavi me opera pretium facturum, si in eâ paulò penitius inquirerem, latiusq; exponerem, non quidem ut commentarium

tarium conscriberem, sed ut de illis haberemus
occasionem publicè conferendi. Laudabili au-
tem more receptum est, patronum querere di-
sputationibus, illasq; declaranda observantia
& promotionis futura gratià dedicare. Mo-
rem hunc ego sequor, & meritissimò sequor.
Semper enim volui meam observantiam debi-
tam testari, quod tamen mihi hætenus ita
fortunà ferente negatum est. Chartà ve-
stras hac occasione Amplitudines alloquor,
& hanc presentem qualemcumq; disputationem
vestris spectatissimis nominibus sacram facio,
quam ut infallibile meæ observantiæ testimo-
nium accipere, meq; vestro optatissimo patro-
cinio dignari velitis, enixè peto atq; contendo.

Vestr. Amplitudinum

observantissimus

CHRISTIANUS REBANI

AUSPICE CHRISTO.

PRæloquii loco Tibi, Amice Lector,
exhibeo ipsam Authenticam *Habita*
C. Ne Filius pro patre, in quâ nostra
privilegia fundantur.

NOVA CONSTITUTIO FRI- DERICI.

Habita quidem super hoc dili-
genti Inquisitione Episcoporum, Abba-
tum, Ducum, omnium Judicum, & a-
liorum Procerum sacri nostri Palatii exa-
minatione, omnibus qui causa studio-
rum peregrinantur, Scholaribus, & maximè divina-
rum atque sacrarum legum Professoribus, hoc nostræ
pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus li-
terarum exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nun-
tii veniant & in eis securè habitent. Dignum namque
existimamus, ut omnes bona facientes, nostram laudem
& protectionem omnimodo mereantur: quorum sci-
entia totus illuminatur mundus, & ad obediendum
Deo & nobis ejus ministris, vita subjectorum informa-
tur, quadam speciali dilectione eos ab omni injuriâ de-
fendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui a-
more scientiæ exules, facti de divitibus pauperes semet-
ipsums exinaniant, vitam suam multis periculis expo-
nunt

A

nunt

nunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causâ perferunt. Hac igitur generali & in perpetuum valiturâ lege decernimus, Ut nullus de cœtero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscunque Provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ constitutionis temeratoribus & etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiæ eis ipso jure irroganda, dignitate sua se carituros in perpetuum. Verum tamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, hujusrei optione data Scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius civitatis Episcopo (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui verò ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiam si causa justissima fuerit, à tali conamine cadat. Hanc autem legem inter imperiales constitutiones, scilicet sub titulo, Ne filius pro patre & c. inseri jussimus. Dat. apud Roncalias Anno Domini M. C. LVIII. mense Novembri.

I.

AUTORITAS NOSTRÆ AUTHENTICÆ.

Authenticæ, quæ ab Irnerio privatâ autoritate in Codicem sunt redactæ non valent in vim legis, nisi consentiant cum Novellis (*in fonte Græcis*) ex quibus eas desumpsit. Nostra autem authentica lex est,

lex est, Rubrica ita habet; *Nova Constitutio (Imperatoris) Friderici (ut volunt primi)*. Sed dicis, constat Imperatorem non posse condere legem universalem Imperii absque Electorum consensu, nostrum enim Imperium est Monarchico-aristocraticum, cur ergo Fridericus eorum non meminit? De origine Electorum variae Publicistarum sunt opiniones, quas hic referre non est operæ pretium. Nos ita existimamus, Collegium Electorale exstitisse tempore Friderici sed classes statuum (ut hodie) non fuisse ita expressâ lege determinatas. vid. *A. B. Tit. 4. §. fin. ibi von alter Gewonheit / quod repetitur Tit. seq. §. fin.* Cæterum hanc authenticam quidam Dd. ad triviales Scholas etiam porrigunt, nos tamen tantum agemus de Academiis.

ORIGO ACADEMIARUM.

Academia deducitur ab *ἀκαδημία* & *δῆμος* scitè quasi diceret, Academia est Medela populi & hâc occasione excurrerem in laudes Academiarum, nisi quis mihi opponeret illud, quod Hercules Laudatori objectum fuit, *quis illas vituperat?* Hoc tantum addo, nostra Academia Jenensis apud *Dn. Frid. Hortlederum lib. 3. de caus. Bell. Germ. c. 88. p. 732.* appositè vocatur *Ein gemeiner Landschaz / Officin und Werckstadt aller guten Künste*. Quidam originem Academiarum altius & aliter repetunt *Conring. Dissert. 1. de Antiq. Academ.* Nos tempori & instituto inserviemus, ostendentes, quâ occasione hodiernæ Germanicæ Academicæ caperint. In nostro Imperio olim ubi Episcopatus erant, ibi etiam potissimum Academicæ (aliquales) & Scholæ instituebantur. *Anton. Possevin. lib. 1.*

Select. Biblioth. cap. 5. p. 4. Cum autem Episcopalia illa Collegia negotia aulica tractarent, studiaque liberalia post haberent, visum fuit, ut monasteriis munus hoc docendi concederetur, sed malè monachi hanc partem functi fuerunt, & discipulos reddiderunt sui similes, hoc est, ignorantiae fratres. Rursum sic indies, ut ad rem redeam, studio politioris literaturae ex monasteriis Academiae majori longe apparatu in loca commodiora hodie studiis destinata translatae sunt ab Imperatoribus, ad hos enim (Regem Romanorum non excludo) spectat in Imperio jus erigendi Academiae; licet enim Papa hanc potestatem olim affectaverit, attamen de facto tantum fecit, ejusque autoritas profus attrita est vid. *Instrumentum Pac. art. X. ferè sub fin.* ubi Imperator Reginae Svediae concessit jus erigendi Academiam vel Universitatem, conf. *Ferdinand. IV. Capitulationem §. 1. §. 16. & seqq. Besoldus de Jure Academ. cap. 2. §. 3. Limn. de Jure Publ. lib. 8. cap. 1. n. 24. & seqq.* Sed obstat quod Papa multas Academiae confirmaverit, v. c. Tubingensem, ut in fundatione dictae Academiae legitur, daß diese Schule von dem Heiligen Stuel zu Rom mit Päpstlicher und vollkommener Vernehmung begabet sey. *Besoldus 1. Polit. 12. §. 3.* Quid ergo dicendum de illa confirmatione? Resp. Papae gesta eodem modo quo *Barbari Philippi in l. 3. de offic. Praetor.* sustinentur & perinae habentur ac si ab ipso Imperatore cujus vicem falso sustinuit Papa, fuissent erectae & confirmatae.

DE.

DE
PROFESSORIBUS & STUDIOSIS.

Hodie in Germanicis Academiis (quas numero XXV. esse asseruit Besoldus d. c. 2. §. 5.) plerumque sunt 4. Facultatum Collegia. 1. Theologi, his meruissimò primus deferuntur locus. 2. Juri, de quorum utilitate & necessitate in Imperio satius est nihil quam pauca hoc loco dicere. Obst. 1. Quod Juri unâ cum Jurisprudencia, quæ infinitam ferè multitudinem legum continet, sint in causa, quod tot lites Germania alat, & hoc confirmant ex *Constitutione Friderici III. Imperat. facta Wormatia anno 1441. art. 5. in verb. Daß alle Doctores der Rechten im Heiligen Römischen Reich Teutscher Nation &c.* Respondeo, ita quidam malè sentiunt & tangunt tam Juri, quam Jurisprudenciæ dignitatem, quibus alibi satisfeci. Quod attinet Jurisprudenciam Romanam, illa non laborat multitudine legum, multa enim in Corpore Juris habentur, quæ spectant ad historiam & Constitutionem Jurisprudenciæ, quæ si separet, non multæ propriè & accuratè loquendo leges remanebunt; & si multæ lites sunt in Germania, fit per accidens, dum homines pruritu litigandi Jurisprudenciâ interdum abutuntur. Frustra autem affertur dicta Constitutio, illa enim nunquam ab Imperio fuit recepta, mittimus has *ϕλοαγιας*, & hoc unicum illis opponimus quod conclusum fuit, *Daß das Corpus Juris Civilis & Canonici (unâ cum aliis ibi enumeratis libris) auf der Reichs-Hoffraths-Tafel / damit man sich deren in zweiffelhaften Fällen gebrauchen könne / stets vorhanden seyn / und von selbiger nicht verrucket werden solle.* *Ferdinand. III. Vernewerte*



Reichs-Hofraths-Ordnung *ferè sub fin.* 2. Medici, fuerunt quidam ex his, qui Jctis olim litem de præcedentia moverunt; sed Jcti se tuentur (ut cœtera taceam) immemoriali possessione, à quâ etiam robustum argumentum desumunt Principes, quando agitur de eorum præcedentiâ. Ultimi sunt Philosophi. Obst. quod Magistri præponantur Doctoribus in literis Caroli V. ad Viennensem Universitatem datis, *apud Goldastum in Reichsaktionen/ p. 452.* Resp. Imperator per Magistros ibi intelligit Theologos, qui olim per excellentiam ita fuerunt dicti. Obst. 2. quod Philosophi non videantur esse in numero Professorum *l. 1. §. 4. de extraordinar. cognit. solutio desumi potest ex l. 18. de adilit. edict. l. 6. §. 7. de excusat. tut. l. 8. §. penult. de vacat. & excusat. mun. l. 8. C. de Profess. & Medic. Lib. X.* Reliqua de Rectore Decano &c. consultò præterimus & Studiosos accedimus. Studiosi in nostrâ authenticâ vocantur Scholares. Quidam per Scholares etiam intelligunt Professores, *rubrica C. de privileg. Scholar. Lib. XII.* verètur enim, nisi hoc statuant, illis denegari privilegia nostræ authenticæ. Sed est frigidum dubium, apertè Imperator dicit, & maximè divinarum atque sacrarum legum Professoribus hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus. Illud quidem non diffitemur hanc authenticam maximè loqui de professoribus Juris, sed quod alii Professores & Doctores, Advocati eorumque uxores & liberi imò viduæ nisi forum mutent, comprehendantur, praxis Academia- rum demonstrat. Ad Studiosum autem requiritur. 1. ut depositioni se submittat, Ritus quidem depositionis in Italiâ, Galliâ & Angliâ non curatur, sed rigidè & præcisè cum Germani nostri observant, ita ut nullus possit esse Stu-

se Studiosus, qui non beani cornua deposuerit." v. c. *Elias Butschius* Lipsiæ à studiosis, qui resciverunt ipsum nondum fuisse initiatum ritu depositionis, adactus fuit ut depositionis ritui se subiceret, utcunque in Academia Leideni per triennium nostræque Jenensi vixerat, & scriptis publicè editis (*ad Salustium*) jam tum inelarus erat. *Ritterhusius in vita d. Butschii*, deinde in Thuringiâ æditui villani consentientibus Pastoribus quendam uxore & liberis instructum tam diu removerunt à consortio donec Jenæ depositionis actu legitimam standi inter eos personam sibi acquisierat, *verba sunt Limnaii d. lib. 8. c. 6. n. 11.* qui tamen contra ritum depositionis disputat, dicitque eum Pennalisationi ferè geminum esse, & ut ovum ovo respondere. 2. Inscriptio, in nostris vicinis Academiis, certum tempus assignatur intra quod Studiosi debent à Rectore petere immatriculationem, quod nisi faciunt, pœna illis imponitur. *In nostrâ Salanâ est triduum.* Juramentum quod Studiosus & civis Academicus præstare debet in prælaudatâ nostrâ Universitate est hoc: Ego N. N. juro primò me fundatorib⁹ hujus Academiae, Illustrissimis Principibus, Ducibus Saxoniarum neque mediatè neque immediatè detrimentum allaturum. 2. Me reverentiam habiturum debitam Magnifico Domino Rectori, & Professoribus, & in regendâ disciplinâ obtemperaturum hujus Scholæ statutis. 3. Me adhibiturum diligentiam in discendo, dignam personâ scholasticâ & lectiones necessarias auditorum sedulo. 4. Injuriam mihi factam consultò nec per me ipsum nec per alium me vindicaturum, sed super illa imploraturum auxilium Rectoris. 5. Si quid delinquerem, aut aliquid haberem controversiæ cum alio, me acquieturum
inju-

in jurisdictione Scholastica & fore contentum sententiã
Domini Rectoris aut Senatus, si is causam cognoscit.
ITA ME DEUS ADJUVET. Hæc de nostrã. In Aca-
demiã Aureliensi & Patavinã nomina Studiosorum
non in Rectoris Academici sed in Nationis matriculam
referuntur. *Limn. d. l. lib. 8. c. 6. n. 32. 3. Ut literis incum-
bant* in verbis authenticæ nostræ ibi *amore scientiæ*, stu-
dia enim sunt principalis causa ob quã illis indulgentur
hæc privilegia. Hinc Doctores concludunt studiosos
Vacunæ tantum deditos & nullas publicas vel privatas
lectiones visitantes non frui privilegiis hujus authenti-
cæ, non sufficit Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis
benè vixisse *in f. c. 71. C. 12. q. 2.* Placet addere, an studio-
sus memoriam sine periculo possit augere beneficio di-
spositionis localis? *Petrus Ravennas memoria Magi-
ster in præceptis hujus artis ferè sub fin. de seipso scribit;*
Dum essem Juris auditor nec vigesimum vidissem an-
num dixi in Universitate Patavinã me totum Codicem
Juris civilis posse recitare: petii namque ut mihi leges
aliquæ ad astantium arbitrium proponerentur: quibus
propositis summaria Bartoli dicebam, aliqua verba tex-
tus recitabam, casum adducebam, tacta per doctores
examinabam lexque ista tot habet glossas dicebam &
super quibus verbis erant positæ recordabar, contraria
allegabam & solvebam: visum est astantibus miracu-
lum. Deinde inter alia specimina hoc refert; Semel, di-
cit, in schachis ludebam & alius taxillos jaciebat, ali-
usque omnes jactus scribebat, & ex themate mihi pro-
posito duas epistolas dictabam: postquam finem ludo
imposuimus omnes jactus schachorum & taxillorum
& epistolarum verba ab ultimis incipiens repetii: hæc
qua-

quatuor per me eodem tempore collocata fuerunt. Te-
stes hujus rei nobiles Patavinos adducit, stupenda de se i-
bi refert dictus Petrus Ravennas, quæ non libet transcri-
bere. *Muretus 3. Var. lect. 1.* affirmat se Patavii novisse
hominem è Corsicâ oriundum qui beneficio hujus dis-
positionis localis 33000. vocabula ordine quocunque
etiam retrogrado recitaverit. Sed hæc res est periculosa
& fallax, ejusmodi innumerabilibus imaginibus obrui-
tur memoria, ut illi plerumque tandē desipiant. Sufficiat
cuilibet nostrum memoria à DEO & naturâ concessa.
Sequuntur ipsa Privilegia in hac authenticâ studiosis
tributa, quæ perspicuoris ordinis gratiâ distinguemus
ratione Personarum, Rerum & Actionum.

PRIVILEGIA STUDIOSORUM
PERSONAS POTISSIMUM CONCER-
NENTIA.

I.

STudiosi habeant securam habitationem in Acade-
miis in verb. authenticæ *securè habitent.* Quando
enim Faber vel alius opifex continuo strepitu & tu-
multu Studiosum vel Professore impedit, quô
minus animum in studia defigere possit, Magistratus ad
instantiam studiosi vel professoris, si suo jure rigidè uti
volunt, debet opifici interdicere, ut arte illâ strepiferâ
abstineat, vel nisi paret & ulterius molestus est, illum
prorsus expellat. Sic ad petitionem Petri Rebuffi Magi-
stratus Mompelii quendam textorem, quod cantibus &
boatibus ferè sine intermissione viciniam impleret, ade-
git, ut domicilium commutaret. *Ipsè Rebuffus Scholar.*
privileg. 3. Idem etiam obtinuit *Matthias Colerus 7 Ctus*
hic lcci. Habitabat propè ædes ipsius victor, qui sub me-
B diam

diam noctem surgendo tantos strepitus & clangores excitabat ut multas noctes in somnes d. Jctus non sine periculo valetudinis transegerit. Hanc rem detulit ad Regimen Vinariense, quod Senatui Jenensi mandavit, ut compelleret Vietorem, vel istas operas in vicinia istâ omittere vel aliud domicilium quærere. *d. Matthias Colerus de Process. Execut. part. 1. c. 4. n. 8.* qui quidem ibi vult hoc tantum obtinere in professoribus sed id propter paritatem rationis, scilicet favorem Studiorum ac utilitatis publicæ etiam meritò intelligimus de studiosis, cum *Rebuffo. d. l. n. 4.* Hoc privilegio gaudent etiam alii Doctores extra Academias viventes, comprimis quando Doctores prævenerunt loco domicilii opifices, sicut pro Doctore quodam contra Vietorem respondit *Facultas Juridica Lipsiensis Anno 1617. ad consultationem Senatus Numburgensis, consimiliter in eâdem causa Doctores Curia Electoralis Witebergensis & Collegiū Juridicū Jenense pronunciarunt, cōclusio responsi Jenensis hæc est.* Als erscheinet auch nunmehr aus der Parteyen vorbringē so viel / daß dem Döttiger der Einzug in das von ihm zur Ungebühr wider der Doctoren privilegium, erkaufftes Haus nicht unbillich zu verbieten von N. B. *Magnificus Dn. Richter Jctus Famigeratissimus, Præceptor atq. Promotor noster honoratissimus ad præsentem authenticam d. 3.* Dicit tamen *Johann. de Amicis Consil. 104. n. 12.* in civitate Neapolitanâ fabros habere officinas subtūs Doctorum domos imò juxta Ecclesias, quæ sequior consuetudo nostro generalijuri non officit. Quæritur quid juris An studioso debeat remitti pensio propter ingruentem pestem, quod Affirmamus *per l. 28. de damn. inf. l. 49. §. 1. ad L. Aquil. l. 13. §. 7. locat.* an propter frequentem appa-

apparitionem spectrorum? rectè affirmat *Covarruvias*
4. Var. Resolut. c. 6. Spectra enim frequentia animo stu-
diosi terrorem injiciunt, ut non possit securè habitare &
spartam suam, ut decet, ornare. 2. An Locator in libris
studiosorum habeat hypothecam pro pensione? existi-
mo referre an studiosus alias quasdam res secum vehat
præter libros, an vero non; priori casu æquum est, ut illi
relinquantur libri fartitecti, posteriori casu, manifesta
praxis Academiæ ostendit non parci libris adde l. 2.
in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah. Denique quæ-
ritur, quousque sese extendat securitas in nuntiis studio-
forum? tam ipsi quam ipsorum nuntii veniant & in eis
securè habitent, dicitur in nostra authentica. Et in causa
*Academiae Lipsiensis à supremo Appellationū judicio Electo-
rali decisum fuit contra Senatū Lipsiensem*, nuntium per
octiduū esse sub Jurisdictione Academica & frui privile-
giis Academiæ, **So viel den ersten Punct anlanget / daß**
die Bothen zwar so zu der Universität Verwandten ge-
schicket / ratione Jurisdictionis, privilegiorum Academiæ
fähig sein sollen / doch lenger nicht denn auf 8. Tage. Paren-
tes, fratres sorores & tutores studiosorum, quando eos
in Academiis visitant, idem juris habent, ut patet ex con-
textu præcedentis præjudicii, **so lange auch (nemlich 8. ta-**
ge) der Universität verwandte Freunde / die sie besuchen /
derselben genießen möchten / iedoch daß solches allein von
den Verwandten in lineâ ascendente & descendente als
Eltern und Kindern aber in collateralibus nur von Brüdern
und Schwestern und nicht weiter verstanden / doch gleich-
wohl auch die Vormunden nicht ausgeschlossen würden.
Carpzov. Lib. 6. Resp. Jur. Electoral. Tit. 10. Resp. 119. n. 10.

II. Quod circa personas studiosorū in d. authent. con-

tinetur, est ne quisquam studiosos injuria afficiat. Injuria est vel realis vel verbalis *l. 1. §. 1. de injur.* quarum requisita compilare forsan hic esset extra lineam. Hoc unicum addimus; atrocem aestimari debere injuriam, quæ ab aliis Studiofo inferitur, studiosus enim refertur inter clericos & sustinet personam honorabilem *conf. §. 9. l. de injur.* sed dicat quis, omnis alius ex generali provisione Juris communis habet contra injuriantes actionem civilem & criminalem *§. seq. 10. d. l. quomodo E.* hoc potest referri in classem privilegiorum? Resp. Magistratus ex officio sine accusatore in injurias studiofo illatas inquirere & delinquentes graviter punire debet. Inquisitio autem aliàs in privatis delictis non habet locum. *Matthias Stephani de Jurisdic. lib. 3. p. 2. c. 8. n. 3.* quò confirmatur nostra præcedens assertio atrocem aestimari debere injuriam, quæ studiofo ab aliis inferitur: Affereamus exemplum commemoratione dignum, quò injuriæ studiofis illatæ vindicatæ fuere. Parisiis Scholares die quodam habendæ supplicationis causâ ad d. Catharinam (Scholasticorum sic vocatur) solenni processu euntes à Caroli Savosii (qui erat Regii Cubiculi Præfectus & Eques Auratus) stabulariis petulanter infestantur. Stabularii enim d. Savosii equos in Sequanam ducturi in medios processionis ordines vehementius equitando ingerunt, & aliquos scholares lædunt. Illi mox indignabundi obvios lapides in stabularios conjiciunt ita ut quidam ex equis deturbarentur. Inde Savosiani se domum recipiunt, collectâ majori cohorte scholares invadunt, sauciant, cædunt, reliquos usque ad templi ostium prosequuntur. Sed tandem aucto numero scholarium Savolianos fugarunt. Studiosi finitâ supplicatione

nione solenni statim una cum Rectore (qui Regifacius enarrabat) Carolum VI. adeunt, testati nisi Majestas Regia severè puniret, tam grandem injuriam illis illatam fore, ut omnes Scholares Parisiis brevi sint abituri. Rex liberaliter respondet & fert sententiam, quã Carolus Savosius, quippe qui patrocinium suorum susceperat, aula Regiã & Regno Franciã pulsus, excommunicatus & domus ejus, unde stabularii prodierant, funditus everfa est. *Lansius de Academiis. l. L. ferè sub fin. & ex aliis refert paucis lineis interpositis*: Magni nominis atq; autoritatis per id tempus Schola Parisiensis habebatur ita ut Scholasticum officium offendisse piaculum esset.

Lans. d. l.

III. Ne studiosi ullum damnum sentiant &c. sic Imperator immunitatem concessit studiosis à repressaliis, quas placet referre ad personas studiosorum, licet non nesciam eas etiam in rebus fieri. *Grot. de Jur. B. & P. lib. 3. c. 2. §. ult.* Disputant interpretes an Imperator hoc loco prorsus prohibuerit repressalias, an vero in tantum ne contra Studiosos intententur. Quicquid sit. Pro eo quod debet præstare civilis aliqua societas vel ejus caput, ordinariè omnes obligantur illi qui in tali societate sunt vel capiti subsunt, ut hoc jus gentium voluntarium introduxit secundum. *Grotium d. l. §. 2. & seqq.* sed jus nostrum excipit studiosos. Quoniam autem repressalia communiter à Dd. dicuntur esse species belli, nemo poterit illas concedere nisi qui habeat jus belli indicendi. Cũ ergo in Imperio jus belli indicendi non sit penes solum Imperatorem, ut manifestè pater *ex Ferdinandi III. capitulat. art. XI. & Ferdinandi IV. capitulat. art. XI.* Hinc etiam solus Imperator non potest concedere repressalias.

lias sed fieri debent ad minimum cum consensu Electo-
rum. Verum alia, quæ de repressaliarum requisitis à
Dd. proponuntur, se-ponimus & ad studiosorum privi-
legia circa res transimus.

PRIVILEGIA STUDIOSORUM RES CONCERNENTIA.

I.

Studiosi non tenentur propter res, quas secum ve-
hant, solvere vectigal *in verbis secure veniant*, quæ
alii explicant ex *l. 1. §. 1. & seq. de his qui effud. vel de-
jec.* Hodie inscribimus cistis, *das es Studentens
Guth sey/* propterea quod publicani sciant illas pertinere
ad studiosos qui nullam pecuniam pro his exsolvent. Si
autem publicani tam impudentes sunt, studiosos urgent
& extorquent pecuniam, tunc illam non solum rursus
restituere sed etiam loco poenæ quadruplum dare de-
bent. Quid autem si studiosus res munificas unâ cum
suis vehat an & libri & illæ res pretiosæ simul in comi-
sum cadunt? Resp. salvi manent libri licet amittat res
munificas *arg. l. 4. §. 1. & seq. de publican. Gilken. ad. d. Au-
thent. n. 44.* quod diximus de rebus munificis, quod ad
illas privilegiû studiosorû non pertineat, idem procedit
in vectigalibus specialiter pro refectione pontium im-
positis, à quibus studiosi non sunt immunes *Petrus Fri-
der. lib. 2. de Mandat. c. 42. n. 6.*

II.

Sumtus quos studiosus à patre, matre vel avo ac-
cepit, illos non tenetur conferre in hæreditatem *l. 50.
famil. ercisc.* Et hoc adeò verum est ut illi sumtus quos
mater uni ex filiis ex communibus bonis post mor-
tem

tem patris subministravit, non sint conferendi; Quin et-
si fratres ad aliquod tempus de communi hæreditate si-
mul vivant & fratri uno simpliciter sumtus suppeditent,
non erunt conferendi; ut hæc tradit *Nobilissimus Dn.*
Struve Jctus celeberrimus, Præceptor atq; Promotor noster
honoratissimus in Collegio Pandectarum Disput. 30. thes. 10.
2. Non venit in collationem pecunia quam studiosus à
patre accepit ad obtinendas dignitates *l. 1. §. 16. d. Collat.*
l. 20. §. 6. Famil. ercisc. Quando gradus inter literatos fue-
rint instituti non est expeditum. Existimant, eos cepisse
præter propter circa annum 1151. Primò. Non confe-
runtur expensæ Doctoratus. Doctores esse nobiles tra-
ditur ab interpretibus. Quod debet intelligi non de no-
bilitate in specie sumtâ sed in genere, quatenus Doctores
sunt exempti à plebejâ conditione. Sic ex permisso Ca-
roli V. Doctores habent jus gestandi easdem aureas ca-
tenas, easdemq; vestes quibus utuntur nobiles reformir-
te Polizeyordnung zu Augspurg de an. 1548. Tit. von unor-
dentlichher Kdfligkeit der Kleidung §. desgleichen & Rudol-
phi II. de an. 1577. tit. 12. von Doctorn. 2. in quibusdâ Ca-
thedralibus ecclesiis Doctores admittuntur ad Canonî-
catus æquè ut Nobiles. 3. Ab Imperatore vocantur amici
summoque honore afficiuntur *l. 17. in pr. de Jure Patronat.*
l. 4. C. de contrah. stipulat. memorabile exemplum habe-
mus in *Jasone* Professore Juris in Academia Ticinensi,
quem Ludovicus XII. Gallorum Rex aliquando hono-
ris causâ in Auditorio profitentem audivit, & cum ad
Collegium perventum esset, Rex quinque Cardinalibus
& centum Proceribus stipatus sinistrum adequitavit, Ja-
sonemque compellavit his verbis; **NUNC JASON INCI-**
PIT REGNUM TUUM. *Piccartus. observat. historico polit.*
dec. 7.

dec. 7. §. 1. Sic Pontifex Angelum ut ipse affirmat, in l. 1. C. de sentent. pass. nunquam admisit ad pedum sed ad manus osculationem, quod magni honoris loco erat. Imò ipsi quidam Pontifices ut Urbanus V. Innocentius VI. Adrianus VI. & Paulus V. fuerunt Doctores Juris, hæc sufficiant, quæ dicta de Doctore eadem procedunt in Licenciato publicè & legitimè promotò 2. Nec conferuntur expensæ Magisterii 3. Baccalaureatus, Notariatus aliorumque minorum graduum. Carpzov. P. 3. C. 11. def. 18. 3. Nec expensæ in peregrinationem utilem factæ, ita fuit judicatum in Camera Electorali Brandenburgensi anno 1605. Arnoldus de Reyher in Thesuro Juris verb. filius n. 76. imò nec confertur pecunia filio post mortem patris missa ut possit redire in patriam Reyher d. l.

III.

Hæc regulariter vera sunt, videbimus exceptiones. I. Filius sumtus in studia factos debet conferre quando pater illud vult *d. l. 50. famil. erisc.* Illa autem voluntas non satis probatur hinc, quando parens in libellum rationum sumtus retulit. Nam solent accurati & curiosi patres familias omnia annotare, ex quâ solâ annotatione nō evincitur, patrem habuisse animum credendi. *Finckelthaus. obs. 11. n. 19. refert. ita pronunciaffe Facultatem Lipsiensem die 16. May 1621. Daß des Vaters blosser Consignation und Verzeugniß in sein Tagbüchlein zu gesuchter Collation in Mangelung anderer Nachricht und Beweises/ nicht gnugsam B. R. W. Diss. Carpzov. part. 3. Constit. 11. def. 20. Cui scitè respondit prælaudatus Dn. Richter. Disp. 5.* Ita autem declaramus hanc exceptionem etiam si parens expressè velit, filium debere sumtus in studia factos conferre, filius tamen hos detrahere

here potest *arg. l. 11. C. de negot. gest.* Nam pater debet
(*voce hac latius sumtā*) studioso ut aliis liberis necessaria
alimenta suppeditare. *l. 6. de aliment. legat.* quia nec il-
le potest vento vivere *l. 2. inf. C. de Alim. pup. prest.* Gro-
rius *d. Jur. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 4.* 2. Si habet bona ad-
ventitia v. c. materna cessat enim hic necessitas & præ-
sumtio, quasi pater de suis dederit, sed potius creditur pa-
ter de bonis filii suppeditasse *arg. l. 5. §. 7. & 19. l. ult. de a-
gnos. & alend. liber.* quod autem pater ultra bona mater-
na filio dedit, non venit in collationem *Carpzov. p. 2.*
Const. 10. def. 28. n. 4. & 7. & part. 3. Const. 11. def. 19. Sic
Scabinatus Jenensis pronunciavit *mens. Jan. Anno 1647.*
Weil in solchen Fall / do der Vater bona adventitia filii
bey sich hat / vermöge der Rechte præsumiret wird / daß er
die seinem Sohn gereichte sumtus studiorum nicht von
seinen Eigenen / sondern von des Sohns Gütern hergege-
ben; So ist auch disfalls / do ferne ihr ein anders nicht bey
zu bringen / dafür zu halten / daß ewer Vater von den bey
sich gehalten und euch zustehenden Mutter-Theil bemelte
Unkosten genommen / und werden euch demnach daran
billich abgezogen: Was aber über offit besagtes Mutter-
Theil auf euch und ewre Studia gewendet worden / das seyd
ihr in gemeine Erbschafft zu conferiren nicht schuldig von
N. W. 3. Si sumtus sint immodici, ut alii liberi non ha-
beant salvam legitimam, hæc enim est juris naturæ, licet
non formaliter, tamen materialiter, ut in totum non
possit tolli. *l. 7. in princ. de bon. damnat. l. 7. §. 1. Si tab.*
testam. nulla exstab. l. 36. §. 2. C. d. inoffic. testam. Grotius
d. l. ultimò Si studiosus sumtus malè impendit *arg. l.*
1. §. 23. de collat. Hinc etiam libri, qui alias etiam si pa-
ter id expressè velit, non veniunt in collationem, con-
C ferri

ferri debent: *conf. l. 19. ad exhibend. Prelaudatus Dn.
Struve d. l. thes. 10.*

PRIVILEGIA STUDIOSORUM CIRCA ACTIONES.

Sequitur Forum Studiosi in verb. *veruntamen si litem &c.* Quidam per *dominum* intelligunt dominum loci, alii dicunt dominum & Magistrum esse parallela quod maiores nostri præceptores suos nominaverint *Dominos*, Alii aliter. Hodie in nostris Academiis eligitur Rector, qui unâ cum Senatu Academico habet Jurisdictionem in studiosos propter juramentum, quod illi præstant, & hic est studiosorum iudex competens, habetque in eos Jurisdictionem. In legibus Romanis jurisdicção sumitur pro potestate statuendi & jus reddendi de causis civilibus, non de causis criminalibus *l. 3. & 7. de Jurisd. l. 6. §. 2. de tut. non obst. l. 7. §. 2. de offic. procons. l. 31. ad L. Cornel. de Fals. l. 1. de offic. ejus cui mand. est Id. ad quæ respondet Sutholt. de Jurisd. §. 117. usq. ad 122.* Ille autem Recte limitat §. seq. 123. quod subjectum & prædicatum hujus propositionis non æquè latè pateant, nec faciant propositionem convertibilem Ita; omnis de causis civilibus statuendi & jus reddendi potestas est Jurisdicção, sed quod sint gradus inter negotia civilia. *conf. l. 6. §. 2. de tut. l. 1. pr. d. offic. ejus. cui mand. Id. l. 1. §. 4. de suspect. tutor.* Hodie quidem mutato statu Reipublicæ veteris Jurisdicção interdum comprehendit merum imperium sed tamen manet distincta natura, ut sub Jurisdicção alicui simpliciter concessa, non statim merum Imperium comprehendatur, nisi constet de speciali concessione.
Hahn.

Hahn. ad Wesenbec. de Jurisdic. n. 8. verb. prorogata.
Hic disputant interpretes an vi hujus Authenticæ Re-
ctores Academiarū habeant merum Imperium? Status
controversiæ ut patet non est de Imperio mixto Germ.
Gerichtszwang / de quo res expedita est, sed mero
Germ. **Halogericht**. Indistinctè quidam affirmant. Alii
negant & pro his militat fundamentum antea proposi-
tum. 2. Pleræq; hodie ut constat, Academiæ non habent
merū Imperium. Alia fundamenta, & quæ contra ea op-
ponuntur, reservamus amico publico Colloquio. Uni-
cum tamen dubiū indicabimus. dicat quis quo jure Tu-
bingensis, Heidelbergensis, Ingolstadiensis, Gryphiswalden-
sis, Rostochiensis, &c. habent merum Imperium? Resp. Si
illis competeret merum Imperium vi hujus authenticæ,
omnes proculdubio Academiæ haberent merum Im-
perium, ad omnes enim hæc authentica spectat, habent
autem illud ex speciali concessione foundationum & sta-
tutorum *Cubach. C. 3. Dec. IX. q. ult.* Dixi antea Acade-
miam Rostochiensem habere merum Imperium, ubi
occurrit famosum & controversum exemplum *Ca-*
stricii. Civitas *Rostock*. negabat illum esse sub Juris-
dictione Academicâ. Econtra Academia asserebat
Hinc casum istum ad multa Collegia Juridica mi-
sit, illiusque Decisionem petiit Syndicus Academiæ,
ejus verbis (non meis) Casum hic legendum exhibeo.
Sic putavi esse ex re lectoris, si nihil à me immutaretur.
Tit. prem. Facti species quæ in controversiam hoc lo-
co vocatur ita se habet. *Hessus quidam nomine Castricius,*
qui ob furtum *Tubingæ* virgis cæsus & ab illâ Academiâ
exclusus est, *Witebergam* studiorum, quæ feliciter cepe-
rat, pertexendorum causâ ivit, & rumore ibi de ipso orto

& sparso clam illinc discessit, & in Academiam Rostochiensem venit & jurejurando Magnifico Rectori, ejus sceleris ignaro, se obstrinxit & in Academię matriculam inscriptus est, sed & studium Theologicum pertexuit, & imprimis in Hebraicā Linguā tantum profecit, ut illam sine punctis legeret; sed & conciones plures doctas ad populum habuit, tandemq; Magisterii gradum & dignitatem petiit. Sed interim hic quoque rumor surgit de furto per Castricium repetito, ideoque petiti honores ei denegantur tantisper, quoad se purget. Verum judicia plura indies contra *Castricium* proferuntur, quæ reum illum esse probant. Quocircā in vincula conjicitur & de furto repetito interrogatur. Fatetur is statim furtum iteratum & veniam sceleris petit. Hinc quæstio emergit *utrum Castricius pro Academia nostræ membro habendus sit.* Sententiæ affirmatiuæ tuendæ ergo plura argumenta in medium adducta sunt. Tum quod *Castricius* communi opinione pro studioso sit habitus *l. Barbarius de offic. prætor.* Tum quod Jurejurando Magnifici Rectoris jurisdic. oni se subjecerit. Tum quod in studiosorum matriculam relatus sit. Tum quod etsi pravis moribus & furti flagitio se contaminarit, elegantem tamen eruditionem sibi compararit & studiis sedulo invigilarit. Tum quod in unâ Academiâ cum infamiâ exclusi, nihilominus alias Academias adire, ibique studia pertexere soleant, & tamen quoad infamiam nihil plus efficere sustigatio possit, quàm ignominiosa exclusio. Tum quod nullus sit ordo, qui non recipiat in aliis locis exclusos, vel sustigatos, eosque pro civibus suis habeat, ideoque idem Jus in Academiis observandum sit. Tum quod Scholaris ob delicta privilegia quidem sua amittat & privilegiiis

giis indignus jure censeatur, sed ordinario Magistratui,
qui hodie Rector est, nihil præjudicet, neque Jurisdi-
ctionem illius suo scelere pervertat vel auferat. *Dd. in
auth. qua in provinc. C. ubi de crimin. Roland. Vall. Consil.
34. v. 1. & Consil. 12. n. 55. v. 2.* Tùm quod Clerici &
Scholares ne quidem expressè renuntiando Jurisdic-
tioni suæ ordinariæ se jure subtrahant. Tùm quod multa
fieri non possint, quæ tamen facta tenent. Tùm quia
qualitas personæ ignorata & post patefacta non rescin-
dit quæ per Rectorem sincerè gesta sunt. Tùm quia
nemo statum suum amittit, nisi illo ante expressè pri-
vetur. Tùm quia Tubingensis coërcitio & exclusio
fuit localis & territorio illo determinata. Tùm deniq;
tempore criminis admitti pro Academiæ membro a-
gnitus fuit. Cæterùm *negativa sententia fundamentum
unum* ponitur, quod Castricius Tubingæ furti damna-
tus & ob furtum virgis cæsus infamiam perpetuam &
indelebilem contraxerit, & è Tubingensi Academiâ ex-
clusus & exterminatus, alias Academias ad eundi jus
non habuerit ab aliis Academiis sive istius facinoris i-
gnaris, sive facinus istud scientibus pro membro & cive
Academiæ recipi potuerit. Super hæc controversa quæ-
stione vestrum judicium juridicum vehemēt er expeto,
& ut in sententiam alteram, quàm eligeritis, magis con-
firmendam vel juris aliquem textum specialem vel ra-
tionem urgentem subjiciatis & in primis si quod simile
præjudicium habeatis, id mihi haut gravatè communi-
cetis, peramanter oro. Constabunt vicissim Excel-
lentiis Vestris officia mea *Rostochii 16. Dec. 1611. v. Ex. obs.
Syndicus Academia Rostochiensis.* Et quod Castricius pro
membro Academiæ Rostoch. habendus sit, *unanimitè*

C 3

respon-

responderunt *Acti Jenenses, Lipsienses, Helmstadienses, Heidelbergenses, Francofurtani*, quorum omnium præjudicia integra legi possunt in *Discursu Juridico de Criminali negotio Castriciano*, mihi non libet ea transcribere. Nostra Academia Jenensis quid juris habeat in criminalibus patet etiam ex statutis illius, *Formalia hæc sunt*: Würde aber (bey nächtlicher weile) die Verbrechung peinlich seyn/und Leib und Leben belangen/ Also den und auff den Fall/sollen sie (der Rath) den Thäter / wo es ein Student ist / auff den Morgen dem Schösser an unser Stadt und in Gegenwartigkeit des Rectors, Jedoch daß Er der Rector dessen zuvor von ihnen berichtet werde / in seine Amptsverwaltung stellen und übergeben / geschehe aber die Verwirckung und Angriff an einen Studenten bey Tage/und dieselbe were/als vor berühret/ auch peinlich/ so sollen sie (der Rath) ihn von Stund an gedachten Schösser auch überantworten/ und bey sich desselben Tages/ weder kurz noch lang gefänglich enthalten / und solche peinliche Fälle / do sich dieselben zutragen würden/ sollen uns durch den Rector und Schösser / förderlich und also bald/ mit allen Umständen und Gelegenheiten/ eigentlich und gründlich zu erkennen gegeben / un̄ darauf unsers Bescheids und Befehls erwartet werden. *Obst. quod hæc ratione studiosi nullum habeant privilegium Fori? Resp. omninò. Ante promulgationem hujus authenticæ studiosi ob quamcunque etiam non magni momenti causam coram oppidano seu seculari magistratu poterant conveniri, sed hodie non nisi ob gravissimam sicuti diximus. Licet ergo studiosis non competat privilegium Fori in Criminalibus, attamen habent illud in Causis civilibus i. Ratione conventionis ut præcisè non possint*

sint coram alio iudice conveniri, qui enim audebit hoc, ille, licet causâ sit iustissima, à tali conamine cadat, id est perdat totam causam, ut studiosus non solum ab instantiâ, sed ab ipsâ actione absolvatur. 2. Ratione Reconvencionis. v. c. studiosus conveniens civem coram oppidano magistratu, non potest ab eodem coram isto magistratu reconveniri, & hoc ita hodiè consuetudine observatur; sed studiosus conventus à cive oppidano potest eundem coram magistratu Academico reconvenire. *Berlich. P. 1. Concl. 22. n. 42. Hunnius ad nostr. authent. c. 2. q. 3. & 4.* Hæc pauca sufficiant h. t. Nos ad finem properamus, & cupidum Lectorem ad *Horatium Lucium*, qui 100. vel ut alii volunt 104. imò *Rebuffum* qui 180. privilegia enumerat, remittimus. Tandem, si quid forsitan contra privilegia nostra dictum est, id nec dictum esto.

SUPPLEMENTUM.

I.

Justus Lipsius Rectorem Academiae comparat Duci Venetorum, quod ferè ut ille dependeat à Senatu in *Lovanio Lib. 3. c. 3.*

II.

D. Hieronymus ab angelo dicitur correptus cum legeret libros *Ciceronis* eò quòd vir Christianus paganorum figmentis intenderet *c. 7. dist. 37.* Ita etiam in *seq. c. 15. ead. dist.* prohibentur Poëtæ: Ideò prohibetur Christianus figmenta legere Poëtarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum. Sed in *anteced. c. 9. ead. dist.* dicitur. Legimus aliqua, ne negligantur, Legimus ne igno-

ignoremus, Legimus non ut teneamus sed ut repudie-
mus.

III.

Famuli studiosorum, bidellus, Typographi &c. per
consequentiam etiam gaudent privilegiis hujus Au-
thenticæ.

IV.

Q. quare Imper. Fridericus mandaverit nostram
authenticam Habita inferi *tit. C. Ne Fil. pro patr.*

V.

Academia etiam si propter casum necessitatis v. g.
peffis aliò transferatur, retinet tamen ibi sua privile-
gia. Sic *nostra Jenensis Academia* aliquando *Salveldiam*
translata fuit.

VI.

Thomas Haselbachi olim Theologiæ Professor in
Academia Wiennensi annos XX. vel ut alii tradunt
XXII. *in explicatione primi capituli Esaie* consumsit, nec
tamen ad finem perduxit.

VII.

Q. quod sentiendum de eo quod dicitur: *Qui cele-*
brat omnia Festa, nunquam addiscet Codicem, nec Digesta.

VIII.


Quidam Dd. *ex Nov. 1. in f.* fabricarunt genera-
lem Regulam, *Leges neminem in paupertate vivere, ne-*
que in anxietate mori permittere, sed male, ut facile

ostendi potest ex Græco

Fonte.

Wohl





ULB Halle
005 132 657

3



10/17







B.I.G.

Farbkarte #13

Pri. 43. Num. 4. 23

JURIDICA

1654, 1 A6

OSO.

VILE-

Gratia

*um Ordinis in illu-
nense.*

ue Excellentissimo

- VOLK.

*rimo, Patrono at-
ris & observantia*

roponit

RIEBAUW.

NSIS.

orum,

s consvetis.

NISI I.

